

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimae, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Feria 5. Christus scripturas, quæ de ipso erant, peregrinis interpretatur.  
Quo gressu Charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

# FERIA QVINTA

## CHRISTVS SCRIPTVRAS, QVÆ DE Ipso erant, Peregrinis interpretatur.

Et incipiens à Moysé & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Luc. 24.

### VERITAS PRACTICA.

Quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem.

SENSUS est præcipue de his, quos illas charitas, quæ non est ambitiosa, movet ad procurandam aliorum salutem, qua concionando, qua exhortando, qua instruendo, modis omnibus. Sic enim exemplum Christi Domini ad hoc pietatis officium, eos moveret, ut, quo affectu fugient nobiles suggestus, id est, celebriores ad docendum vel concionandum caetus, & splendidiora fabellæ: eodem petant villas, pagos, & similia minus splendidae minusque speciosa loca;

RATIO est, quia quem moveret vera charitas ad alienæ salutis curam, ita eum verè moveret, ut quo passu & affectu saluti sua vacat, eodem vacat aliena, neque alteri altera salutis cura, ullo modo prejudicet.

Aiqui, ut salus propria & aliena sine ullo sui prejudicio procurentur, oportet, ut, sicut nobilis suggestus suggestus, ita & petatur ignobilis.

Ergo, quo gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignibilem. Quia sane charitas & est pretiosior quæ rario.

#### I. PUNCTUM.

**H**OC certè mirum est, quod Christus Dominus duos hodie Discípulos rudes adhuc & ignaros mysterii resurrectionis, tam diligenter & particulatim ex scripturis docere voluerit; ut quidquid Moses, quidquid Psalmi & Prophetæ de hoc fidei articulo scriperant, solis illis fecerit in via retulerit & declararit: nihil verò Ierosolymis, ubi ad loquendum & docendum recipua & nobilissima erat celebritas, nihil ex quo re-

surrexit apud Scribas & doctiores viros de sua resurrectione dixerit:

Hoc est scilicet, quod ipse ante Dominus miratus erat: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli: Matt. xi. & terra, quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Hic est etiam maximè proprius illius charitatis effectus; quæ nō est ambitiosa, hic eius morus & affectus: Ut quo gressu nobilem fugit suggestum, eodem petat ignibilem: Nec se minus libenter communicet parvulis & rudibus, quam studiosè refugit alios: Quia videlicet illa est sincera Charitas, quæ qui moverur, sic propriæ & alienæ saluti vacat, neutra ut alteri salutis cura prejudicet. Hæc enim charitas à Deo est, quæ autem sunt à Deo, sunt ordinata; Rom. 13: & quæ sunt à Deo ordinata, non sibi obstant, sed sese partus juvant, sicut nec Deus sibi est ullo modo contrarius. Non est enim Deus disfensionis, Id est, confusionis & perturbati ordinis sed pacis, sicut Apostolus, qui & suo Timotheo utramque salutem ex æquo commendans: Attende, inquit, lectioni, exhortationi & doctrina. Noli negligere gratiam que in te est. Hoc meditare, in his esto, ut perfectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrina: Insta in illo, hoc enim faciens, & tuis salutem facies, & eos qui te audiunt. O verè ordinatum & instrutum à charitate hominē, qui sic alios instruit, ut se non destruat: & qui sic libraretur ut aliis & quæ intenderet.

#### II. PUNCTUM.

**A**TQVI ut salus propria & aliena sine ullo sui prejudicio procureretur, oportet ut sicut nobilis suggestus suggestus, ita & petatur ignobilis. Sic enim, dum fugitur nobiles, propria salus in tuto est: dum petitur verò ignobilis, aliena salus comparatur: quia utraque salus & perfectio.

Ier. 2.3.

Rom. 10.

Ezech. 13.

Ps. 131.

Matt. 11.

Lnc. 2.

1. Cor. 1.

IV.

perfectio sanè periret aut periclitaretur, si converso propositionis ordine, ignobilem fugeres suggestum, & nobilem peteres. Nam eti apud nobiles & potentes aliquid cum Dei gratia possis efficere, tamen id rarius & suspeatum est, si maximè id ambias & appetas. Non muttebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Sic ipse Deus, & multò plura passim comminatur. Sicut enim prima Prædicantis conditio & commendatio est Missio, juxta illud Apostoli, quomodo prædicabunt nisi missantur, & nisi ostendant se à Deo vocatos ad hoc ministerium; sic planè si deficit talis missio & vocatio, prima est sese ingerentis condemnatio. Vnde Propheta insipientibus qui sequuntur spiritum suum! At nonne is manifeste dicendus est sed qui spiritum suum, qui ex ambitione nobilis sibi querat locum?

In humili verò & ignobili loco nihil talis periculi, & latu ad animarum salutem aperitur campus. Verè enim de Evangelica veritate id dici potest quod Psaltes: *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylios;* Auditur quidem veritas in magnis civitatibus & cæstibus, sed incepitur in campis inter agrestes & pauperes. Hi sunt nempe qui Evangelizantur, & talium est regnum celorum. His prima, nato Christo, prædicatio Evangelii facta est ab Angelo, & his natus Salvator singulariter & quasi præ aliis nuntiat; hi demum soli ad eum in visendum invitantur, & hi sunt qui primi alii ipsum natum prædicant; sicut & resurgentem hi duo rudes Discipuli cæteris nuntiant quos ipse Dominus idcirco præ aliis docuit.

O quam verè dictum ab Apostolo: *Videte vocationem vestram: quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes, non multi nobiles: sed que stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.*

## III. P U N C T U M.

**Q**VO igitur gressu charitas nobilem fugit suggestum, eodem petit ignobilem; quantum quidem ex se est, luaque in electione & potestate: nam si jubeatur nobilem descendere, patet & omnibus omnia fieri, ut omnes Christo lucifaciat: si vero sibi relinquatur nec aliter à Deo viderit ordinari; quam verè ordinata & sincera erit charitas, tam verè fu-

giet quæ saluti propriæ noceat, quales sunt hī nobiles cætus & suggestus qui ambiuntur; & tam verè petet ignobiles, ubi alienæ saluti fructuofius ac sine ullo propriæ salutis damno vacet. Testor coram Deo, & Christo Iesu, & 1. Tim. electis Angelis, ut hac custodias sine prajudicio, nihil facias in alteram partem declinando: quasi diceret Apostolus, sic utrumque simili tempora, ut neque vacando saluti alienæ, præjudices tuæ; neque ita tuæ vaces ut defisi alienæ. Quis enim, ut ait Sapiens, miserebitur in- Ecclesi. cantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropianter bestiis? At certè hi sunt qui non vocati & non iussi se obtrudunt nobilibus illis suggestis, ubi apud viros dicant primarios: li sunt inquā, qui se ultrò lethalibus exponunt periculis, nec ulla miseratione digni cencentur, meritoque sua præsumptionis penas lauant Nam si Ezechiel quantumvis vocato & iussio dicitur, quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habuissis, quantò magis non vocatis & non missis? Licet enim futuri sint Auditores benigni & à quibus nihil videatur timendum: ista tamen benignitas & popularis favor, non minus sapienti obest, quam inulta & aggressis nonnullorum austeras.

Quidquid sit autem de humana gratia, sicut Christus iram & justitiam, in illos potius quam misericordiam, nisi resipiscant, aperiū denunciant, cum in Apocalypsi, viro aliquo in Apostolico, imò & Angelico sic graviter per Ioannem scribit: *sic operata, & laborem & Apoc. patientiam tuam;* Et post multa quibus insigniter commendatur; Sed habeo, inquit, adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti: primum videlicet illum fervorem, quo simul ac alienæ indivisim saluti laborabat; unde & pergit quod tibi applices: *Memento itaque unde excideris, & age penitentiam,* & prima opera fac: *sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris.* Id est, nisi terecaveteris ab infânia illa mente, qua prætextu salutis alienæ, salutem tuam in discrimen vocas. *Eiice pri-* Matt. 7. *mum trabem de oculo tuo.*

Vide in 1. parte, Dic 31. Decembri,

FERIA

